



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Quod quanto major sit de Deo meditatio, tanto sit & dulcior, 14

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

2. Sed desperare jam non audeo, quoniam subditus ille tibi usque ad mortem, mortem autem crucis, tulit chirographum peccatorum nostrorum, & affigens illud cruci, peccatum crucifixit, & mortem. In ipso autem securus respiro, qui sedet ad dexteram tuam, & interpellat pro nobis. In ipso confisus, ad te pervenire desidero, in quo jam resurreximus & reviximus, jam in coelum conscendimus, & in coelestibus confidemus. Tibi laus, tibi gloria, tibi honor, tibi gratiarum actio.

CAPVT XIV.

*Quod quanto major sit de Deo meditatio,
tanto sit & dulcior.*

1. **P**iiissime Domine, qui sic nos amasti, & salvasti, sic vivificasti & sublimasti. Piiissime Domine, quam dulcis est memoria tui! Quanto magis in te meditor, tanto es mihi dulcior & amabilior. Idcirco delectant me valde bona tua puro mentis intuitu, & dulcissimo pii amoris affectu, in loco peregrinationis meae, juxta modulum meum. Interim quamdiu his fragilibus subsisto membris, miram tui dilectionem & pulchritudinem indefinenter cupio desiderare & considerare: tuae enim charitatis jaculo vulnexus sum: tui vehementer desiderio flagro; ad te pervenire cupio, te videre desidero. Idcirco super custodiam meam stabo, & vigilantibus oculis psallam spiritu, psallam & mente; & totis viribus meis te, factorem & refectorem mei,

collaudabo. Polum penetrabo mente, & desiderio tecum ero; ut in præfenti quidem miseria solo corpore tenear: tecum autem cogitatione & aviditate, atque omni desiderio sim semper; quatenus ibi sit cor meum, ubi tu es, thesaurus meus desiderabilis, incomparabilis, multumque amabilis.

2. Sed ecce, Deus meus piissime ac misericordissime, dum tuæ immensæ bonitatis & pietatis gloriam considerare volo, cor meum non sufficit: excedit enim omnem sensum humanæ mentis tuum decus, tua pulchritudo, tua virtus, tua gloria, tua magnificentia, tua majestas, & tua charitas. Sicut inestimabilis est tuæ gloriæ splendor, ita ineffabilis est æternæ tuæ charitatis benignitas; qua illos, quos de nihilo creasti, adoptas in filios, & tibi conjungis.

C A P V T X V.

Quod desideranda sint pro Christo tribulationes in hac vita.

I. **O** Anima mea, si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam longo tempore tolerare, ut Christum in gloria sua videre possemus, & Sanctis ejus sociari; nonne dignum esset pati omne quod triste est, ut tanti boni tantæque gloriæ participes haberemur? Insidentur ergo daemones, parent suas tentationes, frangant corpus jejunia, premant carnem vestimenta, labo-